

## AD PL. COM. FR. 201 K.-A.\*

λαβοῦ λαβοῦ τῆς χειρὸς ὡς τάχιστα μου·  
 μέλλω στρατηγὸν χειροτονεῖν Ἀγύρριον  
 προσίσταται μου πρὸς τὸ βῆμα Μαντίας  
 βόσκει δυσώδη Κέφαλον, ἐχθίστην νόσον

Sine fabulae inscriptione senarii hi traditi sunt in opusculo Plutarchi quod *Praecepta gerendae reipublicae* inscribitur (4.801a–b)<sup>1</sup>:

τί οὖν δῆ; οὐχὶ καὶ τοῖς ἀσελγῶς καὶ τεθρυμμένως ζῶσιν αἱ πόλεις  
 χρῶνται; καὶ γὰρ αἱ κιτῶσαι λίθους καὶ οἱ ναυτιῶντες ἀλμυρίδας καὶ  
 τὰ τοιαῦτα βρώματα διώκουσι πολλάκις, εἴτ' ὀλίγον ὕστερον ἐξέπτυσαν  
 καὶ ἀπεστράφησαν· οὕτω καὶ οἱ δῆμοι διὰ τρυφῆν καὶ ὕβριν ἢ βελτιόνων  
 ἀπορία δημαγωγῶν χρῶνται τοῖς ἐπιτυχούσι, εἶτα βδελυτόμενοι  
 καὶ καταφρονούντες χαίρουσι τοιούτων εἰς αὐτοὺς λεγομένων, οἷα  
 Πλάτων ὁ κωμικὸς τὸν Δῆμον αὐτὸν λέγοντα ποιεῖ· «λαβοῦ ... Ἀγύρριον»,  
 καὶ πάλιν αἰτοῦντα λεκάνην καὶ πτερόν, ὅπως ἐμέστη, λέγοντα  
 «προσίσταται ... Μαντίας» καὶ «βόσκει ... νόσον».

\*) Summas ago gratias Josephae Basta Donzelli, magistrae meae doctissimae, quae paginas has diligentissime perlegit, sermonem meum interdum labantem castigavit.

1) Vix credideris Plutarchum fabulas Platonicas inspexisse, quem praeter Aristophanem alios veteris comoediae poetas legisse demonstrari non potest. Quin testimoniorum ad homines a Comicis sugillatos pertinentium cumuli, qui in *Vitis* inveniantur (vide e. g. de Aspasia Plu. Per. 24 necnon de Pericle ibid. 3), ad libros illos de κωμωδοῦμένοις ab eruditissimis Alexandrinis conscriptos in universon redeant, nemo est qui dubitet. Difficilis est quidem quaestio utrum materies haec omnis recta via ex libris de κωμωδοῦμένοις an ex lexicis aliis, ubi κωμωδοῦμένοι iam digesti essent, deprompta sit; fieri etiam potest, ut nonnulla Chaeronensis ille ab vitarum scriptoribus Peripateticis vel Alexandrinis acceperit (cf. U. von Wilamowitz-Moellendorff, *Aristoteles und Athen*, I, Berlin 1893, 263 s. adn. 7; J. Steinhausen, *Κωμωδοῦμένοι*. De grammaticorum veterum studiis ad homines in comoedia Attica irrisos pertinentibus, Bonnae 1910, 71–74). Licet suspicari et in *Opusculis moralibus* locos Comicorum iisdem ex fontibus ac in *Vitis* manare, quibus addimus hypomnemata a Plutarcho ad opuscula sua conscribenda composita (vide H. Schläpfer, *Plutarch und die klassischen Dichter*. Ein Beitrag zum klassischen Bildungsgut Plutarchs, Zürich 1950, 57–59; K. Ziegler, *Plutarchos* [2], RE XXI,1 [1951] 636–962, praes. 918–919; W. C. Hembold / E. N. O'Neil, *Plutarch's Quotations*, London 1959, vii–x. De ratione excerptandi apud antiquos scriptores, cf. T. Dorandi, *Nell'officina dei classici*. Come lavoravano gli autori antichi, Roma 2007, de Plutarcho praes. 29–30).

5 εἶτα ante βδελ. καὶ καταφρ. transposuit G. Kaibel apud PCG VII 519: βδελ. καὶ καταφρ. εἶτα χαίρ. codd.

quid ergo? nonne civitates iis utuntur, qui turpiter et luxuriose vivunt? et quidem mulieres gravidae lapides et qui nauseant brassicas cibosque eiusmodi saepe appetunt, deinde paulo post spuerunt et averterunt; sic etiam populi propter luxuriam superbiamque vel meliorum virorum inopiam quibusvis plebis ducibus utuntur, postea eos fastidientes et contemnentes laetantur cum talia contra eos dicuntur, qualia Plato Comicus Δῆμον ipsum loquentem inducit:

Prehede, prehede manum meam quam celerrime;  
praetorem electurus sum Agyrrhium

et iterum, dum petit pelvim et pinnam ut vomat, dicentem

...<sup>2</sup>

et

pascit foetidum Cephalum, infestissimam pestem.

Ad tempora senariorum horum definienda confert mentio Agyrrhii (v. 2), qui anno 389 a populo Atheniensi praetor Thrasybuli loco creatus est<sup>3</sup>, unde coniecercis eos post annum hunc in scaenam productos esse, quamquam non nego fieri potest ut Agyrrhii iam ante annum 389 praetor fuerit: ultra coniecturam istam progredi non licet. Moneo tamen mihi haud probanda videri quae C. G. Cobet scripsit: «perspicuum est his versiculis rideri hominem [scil. Agyrrhium] inepte σπουδαρχίδην, non potitum Praeturae honore, sed avide inhiantem»<sup>4</sup>. Vir doctissimus ad Platonis *Cleophontem* reliquias nostras referendas censuit<sup>5</sup>, quam comoediam ex hypothese I Ar. Ran. anno 405 actam esse compertum habemus. Atqui Agyrrhii in republica auram popularem adeptus est gratiaque floruit restituto imperio populi Atheniensis post triginta tyrannos expulsos. Nondum vero auctoritate pollebat<sup>6</sup> eo anno, quo Plato-

2) Quomodo verba huius versus accipienda sint postea dicam.

3) Cf. Xen. HG 4,8,31; Diod. Sic. 14,99,5; schol. RΓΛ Ar. Eccl. 102a; Sud. α 385 necnon R. Develin, *Athenian Officials 684–321 B. C.*, Cambridge 1989, 215. De Agyrrhio (PA 179; LGPN 1; PAA 107660), cf. W. Judeich, *Agyrrhios*, RE I,1 (1893) 914 s.; Davies 1971, 278 s., et praes. Stroud 1998, 16–25, qui vitam honorumque cursum hominis diligentissime enarravit.

4) Cobet 1840, 153.

5) Cobet 1840, 152.

6) Aliter existimant F. Sartori, *Aristofane e Agirrio nel 405 a. C.*, in: H. Heinen et alii (edd.), *Althistorische Studien Hermann Bengtson zum 70. Geburtstag dargebracht von Kollegen und Schülern*, Wiesbaden 1983, 56–77, et Stroud 1998, 18.

nis *Cleophon* productus est, nec iisdem temporibus poetis comicis copiosam cavillandi materiem praebuisse videtur<sup>7</sup>. Sed de hoc satis.

Mihi enim est propositum in commentariolo hoc de duobus locis disserere, qui doctos viros defatigaverunt. In v.3 quid sibi velint verba *προσίσταταιί μου πρὸς τὸ βῆμα Μαντιάς*<sup>8</sup> apertum non est<sup>9</sup>. Mihi quidem falli videntur qui haec verba de oratore qui suggestum adscendit *petitve*<sup>10</sup> interpretantur: hoc Graecum non sapit. Graece enim proprie dicitur *ἀναβῆναι ἐπὶ τὸ βῆμα*<sup>11</sup> vel *παριέ-*

7) Valde enim dubitari potest an digna sint fide quae refert schol. Ar. Ran. 367 Chantry (ἢ τοὺς μισθοὺς τῶν ποιητῶν ῥήτωρ ἂν εἴτ' ἀποτρώγει) τούτο εἰς Ἀρχίνον, μήποτε δὲ καὶ εἰς Ἀγύρριον. μέμνηται δὲ τούτων καὶ Πλάτων ἐν 'Σκευαίς' καὶ Σαννυρίων ἐν 'Δανάη'. VM οὗτοι γὰρ προιστάμενοι τῆς δημοσίας τραπέζης τὸν μισθὸν τῶν κωμῶδων ἐμείωσαν κωμωδηθέντες. VMV<sup>57</sup> (quae leguntur ab οὗτοι usque ad κωμωδηθέντες autoschediasma esse videntur ad Aristophanis verba explicanda, cf. Kaibel apud PCG VII 491). Archinum enim (PA 2526; LGPN 12; PAA 213880), qui anno 405 iam ad rem publicam accesserat (cf. Sommerstein 1996b, 189 ad v.367), potius quam Agyrrhium ab Aristophane vexari verisimilius censeo. Totum vero scholium mendosum mihi videri ob has duas causas fateor, quod aegre mihi persuadere ab Aristophane, Platone Sannyrionequae cum Archinum tum Agyrrhium laudari (cf. van Leeuwen 1896, 67–68 ad v.367; Sommerstein 1996a, 354 adn. 195) probabiliusque videtur aut Archinum aut Agyrrhium tantum legem, si vere fuisset, de imminuenda poetarum scaenicorum mercede ad consilium tulisse (cf. Sommerstein 1996b, 189 adn. 367; equidem tamen non affirmaverim duos homines legem unam tulisse fieri omnino non posse, cf. quae ad me P.J.Rhodes per litteras electronicas [22.XI.2010] scripsit: «a decree proposed by Agyrrhios and Archinos would be *prima facie* unlikely but not absolutely impossible»). Malim, deletο καὶ post μήποτε δὲ, secutus van Leeuwen (1896, 68), τούτου pro τούτων legere ita ut solius Agyrrhii (de solo Agyrrhio locum *Ranarum* intellegendum iam opinatus est R. F. Ph. Bruck [ed.], Aristophanis comoediae, I, Argentorati 1783, 166 [Notae] ad l.; cf. etiam schol. RΓA Ar. Eccl. 102a Regtuit τὸν μισθὸν δὲ τῶν ποιητῶν [scil. Agyrrhios] συνέτεμε) Plato et Sannyrio mentionem faciant vel potius verba scholiastae eo quo Sommerstein (1996a, 354 adn. 195) vult sensu accipere: i. e. μέμνηται δὲ τούτων «mement harum rerum».

8) Nos ratio temporum nonnullam in dubitationem adducit, spectetne versus ad illum Mantiam Thoricium (PA 9667; LGPN 11; PAA 632545), qui anno 377/376 *ταμίαις τὰ νεώρτια* (cf. IG II<sup>2</sup> 1622, 435 ss.; Davies 1971, 364–368) fuerit, quam ob rem – fortasse recte – R. Kassel et C. Austin (PCG VII 511) de altero Mantia (PA 9666; LGPN 1; PAA 632535), in quem orationem Lysias (fr. 219 Carey) scripsit, cogitare malunt; aliter A. H. Sommerstein in censura PCG VII, CR 40, 1990, 223–225, praes. 224.

9) Cf. quae C. Hubert (Plutarchi Moralia V,1, rec. et. emend. C. H., praefationem scripsit M. Pohlenz, Lipsiae 1957, 66) ad l. scribit: «sed totus versus non intellegitur».

10) Vide quomodo locum vertant A. Barigazzi, Note critiche ed esetiche agli scritti politici di Plutarco, Prometheus 10, 1984, 37–64: 41: «sta avvicinandosi alla mia tribuna Mantia»; Pirrotta 2009, 58: «Mantias kommt nach vorne an das Pult».

11) Exempla ubique obvia: cf. e. g. Dem. 18,66; Aeschin. 1,80; Plu. Dem. 18,1.

ναι<sup>12</sup> / παρελθεῖν<sup>13</sup> ἐπὶ τὸ β.; inveneris praeterea ἦκειν<sup>14</sup>, ἀναπηδᾶν<sup>15</sup> ἐπὶ τὸ β. Rarius adhibetur praepositio πρὸς accusativo iuncta, et quidem cum verbis motum significantibus, de oratore qui suggestum petit sicut in βαδίζειν<sup>16</sup>, ἦκειν<sup>17</sup>, ἀναβαίνειν<sup>18</sup>, προσίεναι<sup>19</sup>, παριέναι<sup>20</sup>, προσέρχεσθαι<sup>21</sup> πρὸς τὸ β. Nusquam legitur προσίστασθαι πρὸς τὸ βῆμα. Accedit quod προσίσταμαι, «adsto, adsum, proximus sum» significans, cum dativo coniungitur ut in Ar. Ach. 683 λίθῳ προσέσταμεν<sup>22</sup> et, ubi accedendi notio exprimitur, cum accusativo<sup>23</sup>, dativo<sup>24</sup> vel praepositione πρὸς cum dativo iuncta<sup>25</sup>. Qua de causa locus hic non ita vertendus ut nonnulli viri docti putant: «Beside my platform Mantias takes his stand»<sup>26</sup>; «presso la mia tribuna ha preso posto Mantia»<sup>27</sup>; «sta accanto alla mia tribuna Mantia»<sup>28</sup>; «Mantias is standing beside my speakers' stand»<sup>29</sup>. Ceterum mihi videtur, nisi fallor, in usu praepositionis πρὸς accu-

12) Cf. e.g. Aeschin. 1,64; Isoc. 8,13. Rarius aut apud senioris aetatis scriptores inveniuntur ἵέναι ἐπὶ τὸ β. ([Pl.] Alc. I 106c); ἀνιέναι ἐπὶ τὸ β. (Lib. Decl. 1,47). Apud Plu. Sert. 20,3 legitur προῆι [scil. Sertorius] . . . ἐπὶ τὸ βῆμα «procedebat . . . ad tribunal», ubi verum notandum est vocabulo βῆμα hoc in loco «tribunal» significari.

13) Scilicet, si quid video, παρελθεῖν pro παριέναι usurpatur in locis, qui aoristum flagitant; cf. e.g. Aeschin. 3,2,151; D. S. 14,70. Inveni etiam ἀνελεθεῖν ἐπὶ τὸ β. (e.g. Hdn. 2,13,4; 7,8,3); προέρχεσθαι / προελεθεῖν ἐπὶ τὸ β. e.g. apud Plu. Cat. Mí. 44,1, 4; D. H. 4,10,6,37,2; 5,17,2 etc.

14) Aeschin. 1,7; Lib. Decl. 1,133.

15) Aeschin. 3,173; Plu. Phoc. 22,6.

16) Plu. Per. 8,6.

17) Aeschin. 3,207.

18) Semel apud [Lib.] Decl. 43,72. Sed in hac declamatione magna est copia «formarum stucturarumque ab eo [scil. Libanio] vitatarum» (sic R. Foerster [ed.], Libanii opera, VII, Lipsiae 1913, 432).

19) Lib. Decl. 23,66.

20) Chor. 23,2,80.

21) Cf. Cass. Dio 45,30,1 necnon ibid. 31,2, quem locum operae pretium est describere: μέμνησθε γὰρ οἷα μὲν [scil. Antonius] προσελεθὼν πρὸς τὸ βῆμα εἶπεν, οἷα δὲ ἀναβὰς ἐπ' αὐτὸ ἐπραξε.

22) Cf. etiam Aesch. Sept. 519; Hdt. 5,51; 1,129.

23) Aesch. Pers. 203 βωμὸν (βωμῶ codd. βε) προσέστην [scil. Atossa].

24) Cf. e.g. Pl. Euthd. 274c; Plu. Ant. 29,2 etc.

25) Aeschin. 1,117.

26) Plutarch. Moralia, X., transl. by H. N. Fowler, Cambridge (Ma.) / London 1936, 173.

27) Plutarco. Praecepta gerendae reipublicae, a c. di E. Valgiglio, Milano 1976, 10.

28) Caiazza 1993, 67.

29) Olson 2007, 444.

sativo iunctae cum verbis quietem, quae antecedentem motum consequitur, significantibus notio innitendi inesse<sup>30</sup>; quod in illud suggestum ex quo oratores in Pnyce ad populum Atheniensem verba facere solebant parum quadrat. Sed haec, ut opinor, non effugerunt aures illius linguae Graecae peritissimi iudicis qui fuit Cobet. Nam vir doctissimus iterum iterumque locum emendare conatus est: primum, immutato μου in μοι<sup>31</sup>, πρόσσεισι γάρ μοι πρὸς τὸ βῆμα proposuit<sup>32</sup>, deinde προσίσταται poni censuit «eo sensu, quo saepe apud oratores solet, de iis qui <adstant> aut <circumstant> in comitiis aut in iudicio»<sup>33</sup>, sed hoc etiam scrupulum omnem ei non evulsit, porro enim προσέρχεται μοι πρὸς τὸ βῆμα coniecit<sup>34</sup>. Aliam rei enodandae viam est secutus J.-C. Carrière, qui, cum interpretaretur: «Mantias me remonte à la ... tribune»<sup>35</sup>, haec adnotavit: «Il semble [...] que προσίστασθαι doive être pris au sens de <remonter à la gorge> (cf. *De vitando aere alieno* 7.831 B). Le mot attendu à la place de βῆμα serait donc στόμα»<sup>36</sup>. Obiter moneo quo loco Plutarci Carrière nititur, ex eo firmamentum virum doctum suae petere opinionis non debuisset. Apud Plu. de vit. aer. 7 enim, postquam ii qui aere alieno opprimuntur similes dicti sunt cholera laborantibus, qui medicamentum sumere nolunt, haec leguntur: καὶ γὰρ οὗτοι [scil. qui aere alieno opprimuntur] καθαρθῆναι μὲν οὐ θέλουσιν, ἀεὶ δ' ὄσαι τοῦ ἔτους ὥραι, μετ' ὀδύνης καὶ σπαραγμῶν τὸν τόκον ἀναφέροντες, ἐπιρρέοντος εὐθὺς ἑτέρου καὶ προσισταμένου, πάλιν ναυτιῶσι καὶ καρηβαροῦσι, ubi neque πρὸς neque στόμα legimus, sed προσίσταμαι metaphorice, cum dativo incommodi coniunctum vel absolute positum, eandem habet signi-

30) Cf. exempla quae in LSJ<sup>9</sup> s. v. πρὸς C I 2 leguntur; Schwyzer-Debrunner, GG II 510 <an etwas lehnen> necnon W. A. Lamberton, Πρὸς with the Accusative, Philadelphia 1891, praes. 3 ss.

31) Quod A. Meineke proposuit, sed de hoc mox plura dicentur.

32) Cobet 1840, 154.

33) C. G. Cobet, *Variae lectiones*, Mnemosyne 5, 1856, 181–204: 204 (= id., *Novae lectiones*, Lugduni Batavorum 1858, 184).

34) C. G. Cobet, *Ad Libanii declamationes duas nuper primum editas*, Mnemosyne n. s. 3, 1875, 1–17: 14.

35) Carrière 1984, 82, quem secuti sunt: G. Pisani, *Plutarco. Moralia III*, a c. di G. P., Pordenone 1992, 27: «Mantia mi vien su ... alla tribuna»; G. Giardini, *Plutarco. Consigli ai politici*, introduzione, traduzione e note di G. G., Milano 1995, 99: «Mantia mi vien su, verso la tribuna». Mireris quod hi omnes μου scribant, sed μοι vertant.

36) Carrière 1984, 163.

ficationem, quae apud scriptores medicos saepe invenitur<sup>37</sup>, hoc est <invado, occupo>, quapropter Plutarchi verba ita convertam: «nam et isti expurgare malum nolunt, sed semper, singulis anni temporibus cum dolore et convulsionibus fenus exscreantes, statim altero adfluente et invadente, rursum nauseant et gravedine capitis laborant». Quae Carrière sentit, eis nuper<sup>38</sup> est V. Ortoleva adensus novumque argumentum se repperisse existimat, quod praepositio πρὸς accusativo iuncta verbum προσίσταμαι consequens a scriptoribus medicis usurpatur ad partem corporis, quo umor vel altera corporis pars admoveatur, significandam<sup>39</sup>. Sed hoc primum, re diligentius expensa verbisque Plutarchi intentis oculis perlectis, potest habere dubitationem cur pinna Δήμῳ ad vomitum eliciendum adhibenda fuerit, cum ipse Μαντίας, sicut bilis vel cibus non concoctus, ad βῆμα / στόμα admoveretur<sup>40</sup>, deinde dubitari non potest quin nostro iure utamur, cum verba Plutarchi οἱ δῆμοι βδελυττόμενοι καὶ καταφρονούντες ad v. 3 Platonis Comici fragmenti referamus. Nempe βδελύττεσθαι est <fastidire, nauseare>, ut vv. 584–586 Aristophanis *Acharnensium* testantur:

Δι. Φέρε νυν ἀπὸ τοῦ κράνους μοι τὸ πτερόν.

Λα. Τουτὶ πτίλον σοι.

Δι. Τῆς κεφαλῆς νύν μου λαβοῦ,  
ἴν' ἐξεμέσω· βδελύττομαι γὰρ τοὺς λόφους.

Cedo mihi pinnam de galea.

– Em tibi plumam, eccam.

– Agedum caput meum tene,

ut vomam: nauseam enim mihi faciunt cristae.

37) Cf. e.g. Hp. Mul. I 11,27 s. (= VIII 44,14 Littré) καὶ πρὸς πᾶν ὅτι ἂν φάγωσιν ἢ πίωνσιν ὄχλος προσίσταται αὐτέησι; Int. 27,30 s. (= VII 238,15 Littré) ἦν δὲ καὶ πνίγμα προσίστηται et IH s.v. προσίστημι.

38) In «Foro interretiali Grammaticae Graecae et Latinae» post seminarium, quod dicitant, a me a. d. XIV Kal. Iun. anno MMX in Universitate Catiniensi habitum.

39) Cf. e.g. Hp. A ff. 14 (= VI 222,1 Littré) ἦν δὲ προσίστηται πρὸς τὴν καρδίην χολῆ ἢ φλέγμα; Mul. II 124 (= VIII 266,20 Littré) ἦν δὲ πρὸς τὴν καρδίην προσιστάμεναι πνίγωσιν αἰ ὑστέραι necnon locos quos apud IH s.v. προσίστημι laudantur.

40) Cf. Caiazza 1993, 208.

Ceterum ex iis quae v. 3 praecedunt (καὶ πάλιν αἰτοῦντα λεκάνην καὶ πτερόν, ὅπως ἐμέση) conficitur ut Plato ibi Δῆμον nauseantem inducat. Equidem censeo Meineke, non hebetis virum iudicii, rec-tam esse veri inveniendi viam ingressum. Is προσίσταται μοι<sup>41</sup> scripsit, hoc est <mihī facit nauseam><sup>42</sup>, quod ipse Plato in fr. 102 K.-A. dixit:

ἤδη φαγών τι πάποθ', οἶα γίγνεται,  
ὀψάριον ἕκαμες, καὶ προσέστη τοῦτό σοι;  
(B.) ἔγωγε, πέρυσσι κάραβον φαγών

Iamne aliquando, cum obsonium aliquod edisses, ut fit,  
stomacho laborasti et hoc tibi nauseam fecit?  
– omnino, anno superiore cum locustam edissem.

Operae pretium est locum Pollucis (5,114) considerare: τὰ δ' ἐν-αντία [i. e. τῶ φιλεῖν], μισῶ τὸν δεῖνα, ἀποβάλλομαι, ἐκτρέπομαι, διαβέβλημαι πρὸς αὐτόν, διαβέβληται μοι, προσκρούω αὐτῶ, προσ-κρούει μοι, ἄχθομαι αὐτῶ, προσίσταται μοι, βδελύττομαι αὐτόν κτλ. Quamvis nolim adfirmare Pollucem Platonis Comici locum, de quo agamus, respexisse, mihi tamen absurdum non vi-detur verba Pollucis a lexico quodam vocum comicarum originem repetere posse<sup>43</sup>. Recepto quidem προσίσταται μοι pro προσίστα-ταί μου eo sensu quo Meineke sumit, versum tamen non interpun-xerim ita ut vir doctus, qui scribit προσίσταται μοι. πρὸς τὸ βῆμα, Μαντία, interpretans: «afferte pelvim et pinnam, vomiturio [an vo-

41) Quam facile μου et μοι inter se permulentur exempla haec ex libris Aris-tophaneis deprompta ostendunt: Ach. 582 μοι E<sup>2</sup> Γ<sup>2</sup>; μου RAΓ<sup>1</sup>, 866 μοι ΑΓ: μου R; Vesp. 208 μοι LVp<sub>3</sub>; μου RV; Nub. 74 μοι E<sup>p</sup>cKNΘ<sup>ac</sup>: μου cett.; cf. etiam Lys. 202 ubi μοι pro μου (R) coniecit Brunck, quem editores omnes (cf. e. g. V. Coulon, Sommerstein, N. G. Wilson) secuti sunt.

42) Cf. A. Meineke, Fragmenta comicorum Graecorum, II,2, Berolini 1840, 682; id. 1847, 392.

43) De fontibus Pollucis, vide H.-G. Nesselrath, Die attische Mittlere Komö-die. Ihre Stellung in der antiken Literaturkritik und Literaturgeschichte, Berlin / New York 1990, 83–102 (de materie comica praes. 92 ss.). Πλάτωνος λέξεις, quae in indice librorum a P. Turner 39, fr. A, l. 3 (III saec. p. C. n. in.) servato laudantur, ad Platonem Comicum fortasse referre possumus; cf. G. Poethke, Inventarliste, in: Papyri Greek and Egyptian (studia E. G. Turner septuagenario oblata), London 1981, 163–166, praes. 165; E. Puglia, Gli inventari librari di P.Vindob. Gr. 39966, ZPE 123, 1998, 78–86, praes. 84 adn. 23; R. Otranto, Antiche liste di libri su papiro, Roma 2000, 75–76.

mituro?], nauseam mihi facit Agyrrhius (aliusve demagogus); adscende tu in suggestum, Mantia»<sup>44</sup>. Ego autem προσίσταται μοι ad Mantiam referre malim, quod vertendo expresserim: «nauseam mihi facit Mantias ad suggestum (adveniens)»<sup>45</sup>, participio quodam sequente versu, a Plutarcho non laudato, comprehenso, sicut προσίσταται μοι πρὸς τὸ βῆμα Μαντίας<sup>46</sup> / (ἤκων)<sup>47</sup>. Leni remedio igitur locum sanari potest, nisi forte criticos illos imitari velimus, qui timidis medicis similes, ut Godofredi Hermann verbis utar, «vix tremulo digiti tactu atrectare affecta audent»<sup>48</sup>.

In extrema parte commentarioli huius v. 4, ubi poetam Cephalum<sup>49</sup> oratorem ludificari videmus, breviter attingam. In nomi-

44) Ita Meineke (1847, 392), quoniam Mantiam Thoricum (sed cf. adn. 8) «populo gratum fuisse» posuit, quod argumentum mihi debile videtur; eum secutus est F. H. Bothe, Poetarum comicorum Graecorum fragmenta, Parisiis 1855, 256. Si, secuti Meineke, post προσίσταται μοι interpungere velimus, scribere possis: προσίσταται μοι. πρὸς τὸ βῆμα Μαντίας / (προσέρχεται), ita ut Mantias is de quo loquitur sit (de caesa oratione, cf. K.-G. II, 2 344). Quod me candidi iudices Musei Rhenaeni monuerunt.

45) Cf. Edmonds 1957, 549: «Here's Mantias going to – disagree with me», quae tamen vir doctus, ibid. adn. e, ad l. adnotavit: «a play upon two meanings of προσίσταται, to approach (*the Gk. adds* the orator's platform) and to disagree with (of food, cf. fr. 95 [= fr. 102 K.-A.])» non probaverim (vide supra). Permixte S. Beta, I comici greci, Milano 2009, 73: «Mantia che s'avvicina alla tribuna mi torna su», qui Carrière sequi videtur.

46) De ordine verborum, cf. Ar. Eq. 136–137 ἐπιγίγνεται γὰρ βυρσοπάλης ὁ Παφλαγών, / ἄρπαξ, κεκράκτης, Κυκλοβόρου φωνὴν ἔχων.

47) Participium ἤκων in initio senarii invenitur in Eur. Andr. 1111; IA 1191. De participiorum et quae ab illis reguntur vocabulorum hyperbato, cf. H. Boldt, De liberiore linguae Graecae et Latinae collocatione verborum capita selecta, Gottingae 1884, 112–123.

48) G. Hermann, Emendationes Coluthi, in Opusculis, IV, Lipsiae 1831, 206.

49) Lectionem Κέφαλον codex G praebet, una cum Vκ necnon Φ (i. e. codd. u<sup>ll</sup>vd'z siglo Φ ab editoribus Plutarchi *Moralium* comprehensis), qui artam cognationem cum G habent, in ceteris autem codd. (oFJS) κεφαλήν contra metrum legitur. Coniecturam Κέφαλον, memoria codicis G nondum, ut videtur, cognita, iam R. Porson proposuerat in notis illis, quas P. P. Dobree, viro doctissimo dictante, descripsit (cf. R. Porson, Notae in Aristophanem, ed. P. P. Dobree, Cantabrigiae 1820, iii et 111). Utrum suis viribus in eandem coniecturam incidit an eam ex adversariis a Porson nondum vulgatis vel voce dumtaxat prolatis acceperit P. Elmsley in editione illa Aristophanis *Acharnensium*, quam anno 1809 Oxonii editam (cf. P. Elmsley [ed.], Aristophanis comedia Acharnenses, Lipsiae 1830 [= Oxonii 1809], 67–68 ad v. 584) vir doctus incudi reddere conatus est, diiudicare nequeo; cf. E. Burton in censura Scholl. in Sophoclis tragoedias septem et Sophoclis tragoediarum septem ..., The British Critic, Quarterly Theological Review and Ecclesiastical Record 1.2



ne Cephali convicium aliquod latere suspicari licet<sup>50</sup>, quod etiam Meineke monere voluit, cum scriberet: «Nimirum κέφαλος etiam piscis nomen est»<sup>51</sup>. Hoc non mirer, si modo cogitare velimus quemadmodum piscium nomina a poetis comicis usurpari soleant ad homines deridendos<sup>52</sup>. Mihi haec consideranti locus Galeni a viris doctis neglectus succurrit. Apud Gal. de alim. fac. legitur:

p. 361 Helmreich (= VI 708,15–709,6 Kühn) τοῦ γένους τῶν λεπιδωτῶν ἰχθύων ἐστὶν ὁ κέφαλος, οὐκ ἐν θαλάττῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ λίμναις καὶ ποταμοῖς γεννώμενος. διὸ καὶ μεγάλην ἔχουσιν οἱ κατὰ μέρος κέφαλοι πρὸς ἀλλήλους διαφορὰν, ὡς δοκεῖν ἕτερον εἶναι γένος τοῦ πελαγίου κεφάλου πρὸς τὸν ἐν λίμναις ἢ ποταμοῖς ἢ τέλμασιν ἢ ὀχετοῖς τοῖς ἐκκαθαίρουσι τοὺς ἐν ταῖς πόλεσι κοπρώνας. περιττωματικὴ μὲν γὰρ ἡ σὰρξ ἐστὶ καὶ βλενωδῆς ἰκανῶς τῶν ἐν ἰλυώδει καὶ ῥυπαρῶ διατωμένων ὕδατι, καλλίστη δὲ τῶν ἐν καθαρᾷ θαλάττῃ [. . .] p. 362 Helmreich (= VI 710,6–10 Kühn) καὶ τινες αὐτῶν, ὅσοι κατὰ ποταμοὺς διαιτῶνται μεγάλην διαρρέοντας πόλιν, ἀποπατήματ' ἀνθρώπων καὶ τινὰς ἑτέρας τοιαύτας μοχθηρὰς τροφὰς προσφερόμενοι χεῖριστοι πάντων, ὡς ἔφην, εἰσὶν, ὥστε, κὰν βραχεῖ πλείονι χρόνῳ διαμεινωσὶ νεκροί, σήπονταί τε παραχρῆμα καὶ μοχθηρότατον ὄζουσιν.

Ex genere squamosorum piscium est mugil, qui non solum in mari, sed etiam in stagnis et fluminibus nascitur. Quapropter et multum inter se singuli mugiles differunt, ita ut marini mugilis dissimile esse genus videatur ei, qui in stagnis, fluminibus, lacunis, canalibus urbium latrinas expurgantibus versetur. Excrementitia enim ac nimis mucosa est caro eorum qui in aquis limosis et sordidis degunt, optima autem eorum qui in puro mari versantur [. . .] et ex eis nonnulli, qui in fluminibus magnam urbem praeterfluentibus degunt, hominum et excrementa et alias pravas eiusmodi escas sumentes, omnium, ut dixi, pessimi sunt, adeo ut, si paulo diutius exanimis permanserint, statim putrescant et pessime oleant.

(Aprili 1827), 281–320, praes. 283–284 necnon P.J. Finglass, A Newly-Discovered Edition of Sophocles by Peter Elmsley, GRBS 47, 2007, 101–116, praes. (de editione *Achamensium*) 114 ss. De Cephalo Collytensi (PA 8277; LGPN 5; PAA 566650), cf. A. H. Sommerstein (ed.), Aristophanes. Ecclesiazusae, Warminster 1998, 161 ad v. 248.

50) Cf. Edmonds 1957, 549 adn. f: «a play on Cephalus».

51) Meineke 1847, 392; cf. etiam PCG VII 519 ad l.

52) Exemplo utar fr. 44 K.-A. (ex *Europa*) ἀλιευόμενός ποτ' αὐτὸν εἶλον ἀνδράχνη / μετὰ πρημνάδων κάπειτ' ἀφήχ' ὅτι ἦν βόαξ, quamquam verba Platonis non satis plana, eum tamen ludere et in βόαξ et in πρημνάδες vocabulis perspicuum est (cf. Kaibel apud PCG VII 450). De oratore haec dici, quem pisci poeta comparasset, iam Hermann existimavit (apud Meineke 1847, 365: ubi Hermann haec observasset non reperit); cf. etiam Pirrotta 2009, 121–122. Ceterum dissentiam a Carrière 1984, 163, qui scribit: «Le vers contient peut-être une allusion au *Philoctète* de Sophocle: βόσκειν y est utilisé à propos d'une maladie (v. 313) et δυσώδης fait penser à la puanteur du mal de Philoctète. Κέφαλος peut donc renvoyer à une infection «céphalique», quae mihi omnia nimis subtilia fundamentoque certo carere videri confiteor.

Nimirum apud Aristophanem κωμφοδούμενοι saepe male olent<sup>53</sup>, mihi tamen Plato et in oratoris nomen<sup>54</sup> iocari videtur, quia id poetam commonefecit de <urbano> mugile, qui excrementis hominum pastus in urbis latrinis putrescit ac foetet.

### Index operum quae saepius laudantur

- Caiazza 1993: Plutarco. Precetti politici, a c. di A. Caiazza, Napoli 1993.  
 Carrière 1984: Plutarque. Œuvres Morales, XI,2: Préceptes politiques, texte établi et traduit par J.-C. Carrière, Sur la monarchie. La démocratie et l'oligarchie, texte établi et traduit par M. Cuvigny, Paris 1984.  
 Cobet 1840: C. G. Cobet, Observationes criticae in Platonis comici reliquias, Amstelodami 1840.  
 Davies 1971: J. K. Davies, Athenian Propertied Families 600–300 B. C., Oxford 1971.  
 Edmonds 1957: J. M. Edmonds, The Fragments of Attic Comedy, I, Leiden 1957.  
 IH: J.-H. Kühn / U. Fleischer (edd.), Index Hippocraticus, Gottingae 1986–.  
 LGPN: P. M. Fraser / E. Matthews (edd.), A Lexicon of Greek Personal Names, II: M. J. Osborne / S. G. Byrne (edd.), Attica, Oxford 1994.  
 Meineke 1847: A. Meineke, Fragmenta comicorum Graecorum, I (editio minor), Berolini 1847.  
 Olson 2007: S. D. Olson, Broken Laughter: Select Fragments of Greek Comedy, Oxford 2007.  
 PA: J. Kirchner, Prosopographia Attica, I–II, Berolini 1901–1903.  
 PAA: J. S. Traill, Persons of Ancient Athens, Toronto 1994–.  
 PCG: R. Kassel / C. Austin (edd.), Poetae Comici Graeci, Berolini / Novi Eboraci 1983–.  
 Pirrotta 2009: S. Pirrotta, Plato comicus. Die fragmentarischen Komödien: ein Kommentar, Berlin 2009.  
 Sommerstein 1996a: A. H. Sommerstein, How to Avoid Being a Komodoumenos, CQ 46, 1996, 327–356.  
 Sommerstein 1996b: A. H. Sommerstein (ed.), Aristophanes. Frogs, Warminster 1996.  
 Stroud 1998: R. S. Stroud, The Athenian Grain-Tax Law of 374/3 B. C., Princeton 1998.  
 van Leeuwen 1896: J. v. Leeuwen (ed.), Aristophanis Ranae, Lugduni Batavorum 1896.

Calatae Hieroni

Giacomo Mancuso

53) Cf. Ar. Ach. 850–853, Pax 811–813; Olson 2007, 221 necnon G. Mastro-marco, L'odore del mostro, Lexis 2, 1988, 209–215 (de Cleone).

54) Eodem modo Κώνθαρος poeta comicus in *Pacis* prologo ab Aristophane ludi videtur; cf. e.g. D. Lanza, L'attor comico sulla scena, Dioniso 59, 1989, 297–312, praes. 307–311.